

Maximè cum ad superiora illa incommo-  
da, hominem experientia comperi, subinde  
sapientia scientiaq; duce, comite etiam in-  
nocentia & integritate, improbo labore di-  
vitiis comparasse; qua in illis possessionem  
devenerunt, qui in illis parandis nihil un-  
quam laboris posuerunt: hoc etiam vanissi-  
mum est, & in magnis malis ducendum;

*VER. 23. Nam quid superest illi homini ex om-  
ni labore suo & ex afflictione animi sui, qua  
ille laboravit sub sole?*

Quandoquidem huic homini ex omni  
molesto & importuno labore & animi angore,  
quem in hac vita suscepit, nihil profus su-  
perest.

*VER. 24. Quum omnibus diebus illius dolores,  
& indignatio occupaverint eum, ne nocte  
quidem quieverit animus ejus? etiam hoc  
vanitas est.*

Quæ res tanto illum percellit gravius,  
quoad totum vitæ suæ tempus, in angoribus  
& indignatione transactum est, usq; eò, ut  
corpore quiescente, ne noctu quidem ani-  
mus ejus à curis liber fuerit: quod item va-  
nitatis plenissimum est.

*VER. 25. Non est bonum penes hominem; ut  
comedat, bibat, efficiatq; ut animus suus frua-  
tur bono ex labore suo: etiam hoc vidi ego à  
manu Dei ipsius esse.*

Huma-